

jecta est. Tanta nimirum contrariorum fuga est, ut de suo op<sup>o</sup> quid remittant jure prius, quàm ut ad momentum sociar<sup>o</sup> gaudeant.

§. VII. Non possumus hîc sicco præterire pede, quod sine mente, præter *Bodinum*, somniavit *Theophrastus*. *Bodinus* quidem ad *Cacodæmonis* hoc loco se vertit potestatem. Unde hunc in modum definiit fulmen: *Quòd sit exhalatio, geniorum ope agitata, & à superioribus potestatibus deorsum disjecta, cum ingenti fragore, ac teterrimo sulphuris odore.* Veruntamen non minor est injuria, naturæ necessaria adimere, quàm, non possibilia eidem vendicare. Imprudenter admodum & impudenter confugiunt ad miracula, quibus efficiendis omnibus par est natura. Quanquàm enim admittamus faciles, non abesse procul ab his similibusqve casibus, malignos illos genios, quorum unica voluptas, hominibus incutere pavorem & exagitare innocentes; cum tamen effectus hic loci tanti non sit, quin adæquatam & sufficientem ex Naturâ agnoscat causam, inepti certè sunt, qui, quod domi habent, foris cum anxietate quæsitant.

§. VIII. *Theophrastus Paracelsus* verò, sic fulminis describit generationem: *In stellis fulminalibus (intelligit autem Saturnum, Jovem, Martem & Mercurium primariò,) est Sulphur in summo gradu, salpetra in summâ pingvedine, Mercurius in summâ contrarierate. Ex his tribus, tonitru, fulmen, tempestates sunt &c.* Auditum admissi risum teneatis amici!

Hoc enim si verum, stellæ corpora simplicia amplius haud erunt. Quo quid absurdius? Hoc si verum, tum multis annorum centuriis ad terram non pertingeret fulmen. Cum lapis etiam molaris, è concavo firmamenti demissus, vix, (si vulgarem Astronomorum opinionem retinere velimus) 90 annis ad nos usque in terram decideret. Vid. h. l. *Celeberrimus in Meteorologiâ, Libertus Fromondus, Philos. P. Lovan. quondam primarius lib. 2. Meteorolog. artio. 2. p. 68.*

THEO-